



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

III. Consideratio & Affectus de Immutabilitate Dei. Feria III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

III. Consideratio & Affectus de
Immutabilitate Dei.

F E R I A III.

O Deus immutabilis! Tu initio terram
fundasti, & opera manuum tuarum
sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem perman-
ens, & omnes sicut vestimentum vetera-
scent, & sicut opertorium mutabis eos &
mutabuntur; tu autem idem ipse es & an-
ni tui non deficient. Psalm. 101. Omnia
verò creata cœlum & terra, mare & om-
nia quæ in eis sunt, mutationibus obno-
xia sunt: homo præsertim, qui nunquam
in eodem statu permanet, sed omni anno,
mense, die, horâ, momento mutatur &
mutat, consilia, decreta, desideria, amores,
& mores. O instabilitas mortalium! ô
mutabilitas & vanitas rerum omnium!
Sed tu Domine Deus meus, semper idem
ipse es, ab æterno in æternum, immuta-
bilis in natura; invariabilis in attributis:
omnis cogitatio, omne consilium, om-
nis voluntas, amor, odium, complacen-
tia, displicentia, gaudium, felicitas, quæ
modò in te sunt, ab æterno quoque fue-
runt, ac in æternum erunt, absque ullâ

variatione, accessione vel imminutione.
Quàm verè igitur per Prophetam dicitur:
Ego Dominus, & non mutor. Malach. 3.

II. Respice, Anima mea, augustissimum Sacramentum, & invenies in eo hunc Dominum Deum tuum immutabilem. Hic quemadmodum mundum & cælos creat, genus humanum deler, peccatores punit, & non mutatur: naturam humanam assumit, dirissima patitur, in cruce moritur, & non mutatur: ita quoque è cælo descendit, sub speciebus panis & vini existit, ab hæreticis contemnitur, à Judæis & Gentilibus blasphematur, à fidelibus justis & injustis sumitur, non consumitur, non mutatur, sed in simplicissima identitate, & primævo statu, super omnia semper perseverat. Credo Domine & obstupesco.

III. O Numen immutabile sub sacro specierum involucro latens! quàm gaudeo de hac stabilitate tua, cui nihil addi, nihil demì potest: tu enim es unicum refugium & asylum meum, ad quod instabilis ego & omni momento variabilis homo pro firmitate & perseverantia in bono

bono recurrere valeo. Accedo igitur ad te in hostia sacrosancta absconditum, petoque suppliciter, ut instabilitatem meam stabilias, & mutabilitatem meam, quodammodo immutabilem reddas. O quoties ab Exhomologesi, aut Synaxi sacra, aut animi renovatione, meliora propono; & paulò post in vanitates & intemperantias pristinas relabor. Confirma me Domine in hac hora, in omni bono; ut nunquam deinceps instar stulti varier, aut velut luna muter; sed sicut sol in conspectu tuo absque ecclipsi constanter refulgeam, ut in gratia tua usque ad finem perseverans in perpetuas æternitates te deprecem. Amen.

IV. Consideratio & Affectus de
Æternitate Dei.

FERIA IV.

Dies mei sicut umbra declinaverunt,
& ego sicut fœnum arvi: tu autem
Domine, in æternum permanes. Psal. 107.
Es enim ipse æternitas tua, quæ est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio: quis ad te non anhelet? Tu fons es omnium bonorum inexhaustus, æternùm
P 5 fluens.